SCHEDÆ CRITICÆ.

INSUNT ALIQUOT EMENDATIONES HORATIANAE.

SCRIPSIT

DR. HAMACHER,

PROFESSOR.

Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.
Si non sis vacuus a cupiditate aut superstitione, — perniciosum est.

Sapienter profecto rerumque naturae convenienter est institutum, ut docti homines, qui artem grammaticam professi cum in omnis antiquitatis cognoscendae studium incumbant, philologi hodie appellantur, singulari quadam in parte sive loco totius doctrinae accuratius indagando et explicando peculiarem et industriam ponant et voluptatem capient. Varia sunt enim hominum ingenia, variae voluntates, magna denique diversitas in vitae conditionibus, ut quemadmodum in ceteris rebus, sic in hoc genere alii alia cupiant, multi quidquid cupiunt iniquitate sive ludibrio quodam fortunae sortisque non possint assequi, pauci vero tanta naturae simul et vitae felicitate excellant, ut ad omnia illa viribus suis sustinenda et tuenda aspirare possint. Sunt igitur qui in rebus gestis veterum populorum inquirendis et describendis praecipuo cum labore versentur aut instituta magis, mores, disciplinas perscrutentur, alii fabularum mysteria, quae omnem memoriam antecedunt, excutiunt et ad certam quandam intelligentiam historiaeque lucem revocare conantur; multi artes persequuntur quidque veteres fingendo pingendove, quid aedificando, cantando, saltando assecuti aut periclitati sint, summo ardore perquirunt et investigant. Plerique toti sunt in utriusque sermonis arte grammatica, quae proprie dicitur, cognoscenda litterarumque monumentis interpretando, explicando, emendando pervolvendis. En vides magnam quidem studiorum in uno doctrinae genere multitudinem et varietatem, sed quae ad unum finem omnia dirigantur, ut universi generis cognitione, quae omnes fines partesque contineat, coniunctis viribus comparata quasi imago quaedam ingenii vitaeque antiquorum hominum quam maxime expressa omnibusque partibus absoluta ante oculos ponatur. Verum si omnes, qui in una philologia quasi tabernaculum vitae suae collocarunt, qui quidem doctrinae suae fructum et specimen aut sua sponte aut necessitate quadam et auctoritate commoti in publicum ediderunt, perlustraveris, perpaucos invenies, qui quas disciplinae illius provincias descripsimus, totas pro sua parte complectantur, immo vero vel principes eorum et secundos plerumque singulos in singulis earum regionibus elaborare constat. Quae cum perinde definiantur et distribuantur, maiorem etiam studiorum varietatem existere consentaneum est. Sed ut missa singularum partium, quae ceterorum sunt generum, immensa silva ad fines huius scriptionis et consilium propius accedamus, si de partitione generis quaeritur eius, quod ad grammaticam et scriptorum interpretationem pertinere diximus, his ipsis finibus permagnam laborum, si dicere licet, divisionem extare facile videbis. Sunt igitur qui poetas utriusque sermonis, sunt qui prosam orationem amplectantur, alii Romanos, alii Graecos in deliciis habent atque scriptoribus aut omnibus aut nonnullis, inter-

dum etiam uni omnem operam consecrant. Sed in uno scriptore tractando magnam discrepantiam et copiam cernere licet, cum aut vitam scriptoris ingeniumque ex scriptis eius enucleare et expromere studeant aut in explicandis rebus verbisque difficilioribus praecipue versentur aut artem criticam adhibeant aut vero leges et rationes grammaticas, rhetoricas, metricas, quaeque sunt alia huius generis, persequantur. Pauca quidem pro immensa materiae mole exhibuimus, sed quae sufficiant ad imaginem adumbrandam munerum, ut ita dicam, abundantiae, quae philologis subeunda et administranda proponuntur. Vides immensum spatium, in quo decurrere possint ingenuarum artium studiosi, infinitam praeclarissimorum operum turbam prospicis, in quibus strenue absolvendis vires exerceant et praemia fortasse doctarum frontium acquirant. Atque merito summis laudibus diversa haec singularum vel minimarum partium et locorum pertractatio praedicatur, si hac lege et conditione instituitur, ut qui in illis operam suam collocat, omnes idem fines ac partes totius artis mente complexus quo singula quaeque referantur et pertineant, utique compertum habeat. Caveas enim, ne quemadmodum in sordidis artibus negotiisque levioribus laboris illa divisio iure commendatur, sic in liberalibus artibus quoque litterisque suo quemque loco suam particulam absolvere posse putes summam artis ignorantem eiusque cum singulis omnibus cohaerentiam negligentem. Frustra sane et invita Minerva laborat quicunque divinam operam Musis consecratam tam foede ad communium vitae quotidianae laborum similitudinem dirigere conetur. Magna quidem mortalium opera possunt ad iustum finem et perfectionem ita perduci, ut singulae multarum operarum vires et labores ligna, cetera suggerendo particula illa absolvenda perfungantur, quam operis auctor ac princeps, qui unus speciem illius mente conceptam tenet ac tuetur, singulis perficiendam attribuit. Verum ab hac originis mediocritate vehementer abhorret litterarum artiumque decus et natura, quae sicut inter sese vinculo quodam omnes continentur, ita cuiusvis artis vel doctrinae singulae quoque partes earumque ipsarum vel minimae particulae tam arcte inter se cohaerent, ut nisi qui ceteras omnes comprehendens universam speciem mente conceptam utique contemplatur et respicit, in una elaborare nullo modo possit. Necesse est igitur quicunque in philologiae parte quadam tractanda peculiarem operam collocavit, quod recte fieri supra diximus, nam omnia non possumus omnes, eundem omnis huius doctrinae adumbratam certe imaginem et universam cognitionem ita complecti, ut plurimas immensi campi regiones perlustraverit et magnam voluminum turbam, non principes solum et ipsa lumina scriptorum delibando quidem gustaverit. Mirum sane quantum lucis ubique ex cognitione universa singulis partibus et locis aspergitur, quippe; omnia enim arctissime cum inter se cohaereant, invicem sese sustinent, confirmant, illustrant et sicut corporis membra, quae coniuncta cum ceteris vigent, divulsa moriuntur, si secluseris et removeris ab universitate, cuius una vi et vinculo continentur, omnem vigorem ac decorem amittunt. Luculentius hunc locum et uberius exemplis adhibitis explicare possimus sententiamque de singulis omnibus philologiae partibus comprobare, sed, ne pro huius scripturae finibus et proposito longius evagetur oratio, nunc quidem unam paucis illustrare conabor, quae in veterum libris emendandis versatur. Itaque primum statuo, artem criticam, si quam philologiae partem, rite tractari et exerceri non posse, nisi ab eo, qui omnem antiquitatis doctrinam mente complexus illa, quae propria sunt et peculiaria huius

generis praecepta et adiumenta, una perceperit. Quamquam in hoc genere, sicut in omnibus honestum est prima petentem in secundis aut tertiis consistere, ut, si pro debilitate et fragilitate mentis humanae vires atque industria non ubique perfectionem attingunt, conatus etiam et studium sufficere debeant. Sed cum via et ratione de loco quodam disputetur, ad ultimam sui generis formam speciemque redigendus esse videtur.

Habet igitur haec ars tres potissimum partes. Et prima quidem, quod principium et fundamentum huius generis recte dixeris, haec erit, ut qui ad aetatem nostram pervenerunt codices manuscripti, quibus editiones vulgatae nituntur, diligenter legantur et excutiantur quasque exhibent singulas lectiones, eae perscribantur, digerantur, codices ipsi in familias, gradus, ordines distribuantur quique optimi sint, notentur, qua demum disquisitione et perscrutatione perfecta quid tandem traditum sit, re vera et luculenter efficiatur et emergat. Verumenimvero, ut omnia mortalium opera manca sunt et caduca, facile est ad intelligendum, grave hoc molestumque doctorum hominum munus vel maxima diligentia adhibita ad iustum exoptatumque finem non posse perduci. Alius alio melius, acrius, sagacius libros inspicit aliamque novarum lectionum copiam eruit, immo facile evenit, ut qui novissimus codicem peragravit, alios omnes, qui ante se periclitati sint, lippis oculis laborasse contendat. Adde quod novi codices reperiuntur, ex quibus novas saepe lectiones expromunt, adde librariorum vel doctorum hominum errores, falsas species, ne dicam fraudes, quibus saepius inducti falsa pro veris habemus. Quid ergo? totumne emendationis opus omittamus, donec ad terminum quendam, qui nulla cogitatione praecipi potest, perventum erit? Minime vero. Strenue rem aggrediamur et ingenio subacto summaque religione ex iis, quae aut ipsi vidimus aut alii se vidisse profitentur, textum, quem dicunt, traditum constituamus eumque, quantum fieri poterit, a doctis viris comprobatum sanciamus. Sequitur altera pars, ut ex iis, quae tradita esse convenit, quid ab ipso scriptore profectum aut vero vel iniuria temporum vel inscitia et incuria hominum corruptum depravatumque esse existimandum sit, communi doctorum hominum iudicio statuatur. Tum demum ad tertiam partem accedere licet atque oportet, quae in emendatione per coniecturam sive divinationem facienda versatur ideoque coniecturalis vel divinatoria critica nuncupatur. Hanc vero qui recte tractat, eum caput omnis doctrinae sive summum philologiae decus ipsamque quasi medullam tueri iure contenderis.

Habes tripartitum palaestrae criticae campum et curriculum, in quo qui vires suas exerceant, iis praeter peculiarem supellectilem universa antiquitatis cognitione opus esse diximus. Facile autem liquet, has partes ita inter se cohaerere, ut nulla seorsum rite tractari possit. Etenim qui emendare scriptorem locumve conatur, eum ante omnia persuasum habere oportet, hunc locum, qualis legitur, ab hoc scriptore proficisci non potuisse. Quod diiudicare non potest, nisi qui compertum habet, id quod prima parte docetur, quidquid membranae tradiderint, quidque ex omni lectionum turba optimum esse convenerit. Quamquam necessarium esse minime censeo, eundem qui in altera tertiaque parte versatur, suis ipsum oculis veteres libros perlustrasse, immo vero sufficere videtur, ab aliis ea, quae petenda sunt ex hac provincia, mutua accepisse diligenterque et religiose, quae illi viderunt sibique suppeditarunt, cognovisse. Jam vero quid censes? quanta doctrina instructum esse illum oportere suspicaris, qui ne dicam scriptorem, sed unum locum emendare in animum inducat? qui fundamento illo posito primum

diiudicare velit, utrum sententia quaedam sive vocabulum cum scriptoris ingenio, aetate, genere loquendi quaeque sunt alia huius generis, congruat necne? qui deinde, si de necessitate emendationis nemo mortalium qui quidem sapit dubitationem movet, excogitare possit et proponere audeat, quod scriptorem olim ipsum dixisse existimandum sit? Qua in re prae ceteris videat necesse est, ut emendatio quod attinet ad sententiam, ad linguae rationes legesque grammaticas, rhetoricas, metricas nequaquam offendat, ut eadem, quae propria sunt huius scriptoris eiusque aetatis, quae cadunt in hoc scriptionis genus, in se contineat, ne veritas emendationis, sic enim hanc virtutem recte designare videmur, in dubium vocari possit. Jam ex his quae diximus luce clarius emergit et extat, quanta doctrina opus sit ad statuendum de necessitate et veritate emendationis, siquidem ante omnia scriptorem penitus ab omnibus partibus cognitum eiusque ingenium, virtutes, proprietates perspecta haberi necesse est, id quod fieri non potest, nisi totius aetatis non solum cognitio accesserit, sed aliarum etiam aetatum, quarum scriptores qui eiusdem generis sunt saepius cum illo sunt comparandi. Praeterea multae in singulis cognoscendis et explicandis difficultates se praebent, quae expediri nullo modo possunt, nisi omnibus quas diximus philologiae partibus, si non accurato et assiduo studio pertractatis, at certe diligenter perlustratis. Permultae saepe quaestiones oboriuntur, ad quas absolvendas historiis, artibus, ceteris disciplinis abstineri nequeat, nec fieri potest, quin sexcenties haesitet et misere fluctuetur, nisi qui ea certe doctrina instructus ad munus suum accesserit, qua singula quaeque, quibus ubique egeat, unde tandem hauriat, compertum habet. Enimvero omnia haec instrumenta et adiumenta nihil proficiunt, nisi quo loco et momento usus eorum et indigentia evenerit, praesto sint mentique occurrant, id quod singulari demum fit ingenii sagacitate, quae propria est huius generis, et memoriae celeritate. Itaque Bentleius peracri iudicio dicit opus esse et *ἀγχινοίᾳ*, divinandi quadam peritia et *μαντικῇ*, quae nulla laborandi pertinacia vitaeve longinquitate acquiri possint, sed naturae solius munere nascendique felicitate contingant. Neque vero vehementer adversamur, siquid bonae fortunae tribuendum esse censueris. Omnium enim, quae ingeniose quolibet in litterarum artiumque genere gignuntur et proferuntur, frustra profecto ultimam quam dicunt causam, radicem, fontem investiges et perquiras. Adsunt repente igniculi illi, semina, lumina sublimioris ingenii neque vero unde profecta sint, luculenter unquam demonstrabis. Dona haec sive *ξένια* dicere licet, quae Musae amicissimis suis benigne largiuntur, id est iis, qui bonae indoli dotibusque ingenii studium etiam assiduum artisque severitatem et prope dixerim, vinculorum rigorem adiungant. Hoc est illud, quod poëta noster praeclarissimus dicit, ingenium esse cum natura et fortuna mira quadam societate coniunctum, ut quidquid illud probe et sancte affectaverit, illae amice et benigne subministrent. Quemadmodum autem summa quaeque maxima detrimentorum et errorum pericula habent sibi annexa, ita in hoc quoque genere proclive est, nisi certis rationibus et legibus te astrinxeris, in foedam istam et quasi gladiatoriam meditandi et excogitandi lasciviam et temeritatem illabi atque syllabas aucupando pro sapientis viri existimatione omnium vere doctorum et prudentium hominum irrisionem ludibriumque captare. Sunt igitur qui obiter rem contemplati et perpetuum simul laborem aversati eam opinionem hauserint, ut critico hoc negotio se nulla doctrinae mole cumulatos et impeditos, nullis artis legibus circumscriptos et coërcitos turbulenta quadam,

si deis placet, ingenii agilitate et subito fortunae favore perfungi posse censeant. Inde est quod libere vagantur et petulanter atque si quid forte fortuna deprehenderunt et arripuerunt, quod a veritatis originisque similitudine primo aspectu non prorsus abhorreat, exsultant et sublimi sidera vertice ferire sibi videntur, ut qui viris in philologia principibus inserantur. Turpissimo sane errore et spurca mentis caecitate peccant, qui tale flagitium contra principem omnium liberalium artium in se admittunt, ut omnibus legibus soluti in sacro Minervae Musarumque campo debacchentur, sed poenam meritam evitare non possunt, cum apud omnes litterarum cultores, qui talis furoris eruptione facta tergiversantur, in contemtionem et ludibrium irruant. Itaque fas quidem esset, supersedere nos talibus nugis et, paene dicam, ingenii commissationibus commemorandis et castigandis, nisi duplex inde damnum oriretur. Primum est, quod de sublimitate ac splendore artis ipsius ita detrahitur, cum quod vitium est nonnullorum hominum levitatis, illi imputetur ab iis, qui saniore quidem mente sunt et iudicio, sed non eo acumine, quo discrimen illud satis dilucide dispicere possint, quos quidem Fr. Aug. Wolfius sua castigandi cavillandique vi et lepore perstrinxit, quod solam divinationem negarent nonnunquam omnem scientiae fidem et argumentationem assequi. Alterum est gravissimum, quod iuvenes iique saepe praeclaris ingenii virtutibus ornati, quae sunt mirae huius artis illecebrae, iis constricti et seducti cum iudicio nondum satis subacto et exculto vera a falsis minus discernant, toti in illam aleam abripiuntur omnemque operam, quam in studiis omnis generis gravissimis severissimis per omne curriculum academicum —, nam in Gymnasiis quidem omni re critica abstineri verum esse censeo, — sed in umbris academiae collocare debent, in emendando uno alterove scriptore consumunt. Egregie, sed misere falluntur cum nesciant, iis demum quae negligant omnem emendandi curam niti et contineri atque futilem prorsus et ridiculam evadere sublatis illis quasi fundamentis. Docendi igitur sunt iuvenes litterarum studiosi acriter et sedulo, ne vana et inania captando omnem verum studiorum fructum et voluptatem omnemque simul hominum sapientium existimationem periclitentur; iterum atque iterum adhortandi, ne sese ad certamen accingere conentur, priusquam vires satis exercuerint, armis quae propria sunt eius arenae uti didicerint, omnique qua opus est eruditione mentem imbuerint. Persuasum habeant, omnes, qui in hac disciplina cum fructu et laude elaboraverint unquam, viam et rationem certis legibus definitam secutos esse, quam si relinquere videantur, id quod summo cuique nonnunquam accidere negari nequit, ex nimia quadam ingenii ubertate et subita, si dicere licet, artis exsuperantia luculentam hanc libertatem exoriri, non ex sterilitate et inopia artisque contemtu, quibus foedam istam licentiam laborare diximus.

Vidimus igitur, quantam doctrinae copiam altera tertiaque pars quodque mentis acumen requirant. Quaeritur utrum iisdem subsidiis etiam ille egeat, qui in prima singularem operam collocare constituerit, an vero qui in codicibus inspiciendis, describendis, comparandis praecipue versatur, eum sufficiat, id quod multi statuunt, *χαλκέντερον* quendam esse praecipua quidem oculorum acie et sanitate praeditum, ad mentis vero sagacitatem quod attinet et universam doctrinam, ne pinguitudinem quidem aut certe mediocritatem excedentem. Quod secus mihi videtur. Fac enim duos homines eadem oculorum acie, sed diverso mentis acumine praeditos tabulam pictam diligenter aspexisse, facile nimirum tibi

persuadebis, alterum plura, immo prorsus alia vidisse. Ut qui planitiem quandam prospiciens iam ante compertum habet, hominem peregre appropinquantem iam iamque apparitorum esse, celerius non modo speciem humanam videbit, sed etiam qui sit cognoscet, sic etiam qui libros inspicit multis locis obscuros, mutilatos, depravatos, si satis est doctrina et vi divinandi instructus cum sciat animoque praecipiat, quid quoque loco recte legi possit, quid non, eaque omnia ἐν τῷ καιρῷ mente comprehendat et perlustret, facilius sexcenties et celerius dispiciet, quid sibi velint illi calamorum ductus aliis mortalibus nocte sive velis obtenti. Quippe; solem enim quis sine sole videt? Itaque vehementer me quidem auctore exoptandum esset, ut non accederent ad hanc operis partem viri mentis aciei lippitudine et tarditate praepediti, sed qui alteram etiam tertiamque partem deinceps aggredi possent. Verum hoc erat in votis; sicut cuivis non licet adire Corinthum, ita saepius usu venit, ut qui doctrina et ingenio satis est instructus, opibus idem et otio aut gratia hominum potentium careat, quibus opus est ad codices peregrinatione facta inspiciendos aut emendos aut collatione per alium facta usurpandos. Videlicet ingeniosi non sunt iidem semper pecuniosi neque vero grati et accepti, immo vero ludum quendam interdum fortunae deprehendas, quae pinguia omnia cum aliis dederit ingenio non excepto, aliis, in quibus haud pauci magistri, nihil pingue concessit: quod utrum malignius, an vero benignius illa faciat, suspensus equidem philosophis decernendum relinquo. Quamquam multos aliter sentire supra dixi, quippe qui homines prudentes probe noverim, qui satius esse statuant, viro qui non nisi legere ac describere litteras accurate didicerit, membranas pertractandas commendari, quia viri docti, si iidem sint ingeniosi, quod fieri sane potest, suspicionibus et opinionibus facile vel imprudentes et inviti ducantur potius, quam iis, quae subiecta sint oculis. Haud pugnabo cum illis, viderint, quid proficiant, dum lis sub iudice sit, sed hoc mihi concedi et condonari velim, quod supra monui, non opus esse ad artem criticam exercendam, tuis ipsum oculis omnia intueri, sed ea, quae alii, quibus fidem haberi fas est, protulerunt, ratione quadam et sollertia in usum et fructum tuum convertere.

Restat, ut quae sint singularia et peculiaria artis nostrae praecepta, deinceps exponatur. Sequitur igitur, ut emendatio, de cuius necessitate et veritate persuasum habemus, similitudinem etiam prae se ferat eorum, quae tradita sunt, id est, ut ipsae litterae emendationis quam proxime accedant ad eas, quae corruptela continentur. Qua de re qui omnino iudicare vult et statuere, eum oportet pȧlaeographiam, quam dicunt, accurate cognitam habere, ut aut ipse viderit, quali calamorum ductu, quibus signis et notis veterum singularum aetatum codicum vocabula scripta sint, aut ab aliis in hoc genere versatis didicerit. Quod ut plurimum facit ad artem rite et certa quadam via ac lege exercendam, ita necessaria est haec cognitio, si recte et iuste de emendationibus aliorum iudicare velis. Quod quale sit ut melius intelligatur, paucis exemplis e palaeographia latina petitis explanabo.

Testantur igitur atque affirmant viri docti, in scriptis vetustis *ti* et *u* (tinctus = unctus), *m* et *in* cum punctum supra litteram *i* abesse soleat, facile confundi, immo etiam *m*, *lu*, *ul* non nisi contentis oculis posse dignosci, synaloephen autem, qua una syllaba pronuntiatur, cum duae adsint, eam saepissime vim habere, ut merae syllabae aut compendio notentur aut vero notula deleta sive neglecta prorsus omittantur. Itaque non solum *mediarripe*

scribitur pro *media arripe,* sed cum accedat, ut littera *m* virgula tantum superne notetur, idem etiam scribi potest pro *mediam arripe.* Sic *celer avis* aut *celer avem* scribi potest pro *celerem avis, celerem avem.* Inde sine dubio factum est, cum *que* sequente vocali compendio *q.* notaretur, ut quod viri docti affirmant, nota evanescente aut neglecta multis in locis *que* omitteretur. Itaque e. c. Bentleius legi voluit *postque equitem,* ubi vulgo fertur *post equitem.* Facile autem licet suspicari, idem accidere potuisse relativis *qui, quae* etc., ut iis omissis nonnihil corruptelae in poëtas irreperet. Simili ratione accidit, ut litera *m* absorbeat *in* et *et* continuo sequens, quo fretus Bentleius e. c. legi voluit *inverecundum Bacchum* pro verecundo etc. Saepius denique evenit, ut primae versuum litterae minio postea describendae omitterentur.

Et haec quidem exempli gratia hoc loco descripta cum adumbratam exiguae certe partis imaginem exhibeant, sufficere simul videntur ad aestimandam earum emendationum quas infra proponam similitudinem. Vidimus igitur, emendationem cui calculum apponas, commendari oportere a necessitate, veritate, similitudine. Sequitur, nisi casu quodam aut incuria corruptelam factam esse existimandum sit, ut causa probabilis emergat, qua de causa librarii commoti genuinam lectionem commutaverint, corruperint, id quod in raritate plerumque sive difficultate quadam vocis aut constructionis quaeque sunt alia huius generis positum est, cum boni homines vitium sibi corrigere viderentur. Talibus interpretamentis et, si deis placet, correctionibus multa librorum menda deberi constat. Idque non solum a librariis medii aevi, sed ab hominibus opinione praeoccupatis postea quoque factum esse persuasum habeo. Ita enim nonnulli, qui critici nuper habebantur et praedicabantur, nam de novissimis nunc quidem non loquor, in corrigendis scriptoribus grassabantur, cum legum grammaticarum, metricarum, aliarum sanctitatem nescio quam prae se ferrent, quae non leges interdum, sed merae opiniones erant, ut nisi impedimenta studio eorum et audaciae obstruantur, timendum sit, ne scriptores ab omni parte perturbati, maculati, prorsus commutati evadant nimiumque, quod vires humanas excedat, emendandi sanandique opus posteritati relinquatur. Praeclaro igitur munere perfunctus erit, qui scriptorem antiquum a maculis istis fraudibusque vindicaverit, qui demonstraverit et comprobaverit, a librariis vel viris doctissimis certa quadam de causa, sed falsa vel haud probabili veram loci lectionem quae emendatione continetur in corruptelam esse conversam. Cumulum ille profecto quendam virtutis et perfectionis affert emendationi, cum ad necessitatem accedat quasi probabilitas quaedam et, prope dixerim, necessitas corruptionis. Habes igitur, ut brevissime complectar, quibus tanquam certis rationibus et legibus de qualibet emendatione iudicandum erit, quatuor locos, necessitatem, veritatem, similitudinem, probabilitatem. Quos si in iudicando adhibebis, non omnes simul ubique virtutes neque vero singulas eadem vi et aequo pondere insignes adesse consentaneum est — interdum enim quod alii loco deesse videtur, alius ad persuadendum abunde suppeditat —, immo vero non desunt virorum doctorum emendationes, quae una permagna unius loci virtute omnium approbationem nactae sunt, cum ceteri etsi non vehementer eas commendant, nihil tamen habeant criminis, quo infestentur aut damnentur.

Jamiam ex schedis meis complures Horatii quae per coniecturam factae sunt emendationes depromam in tres classes distributas. Quarum quas prima alteraque continent, per

gradus eas ordine certo ita digessi, ut progressus fieret similitudinis sive mavis dissimilitudinis. Possem progredi et per plures classes ordine descriptas ad iustum finem emendationis opus perducere, ut eas deinceps proponerem, quae paullo et aliquanto maiorem dissimilitudinem et audaciam aut haberent aut habere viderentur, verum satius duxi nunc quidem via quadam monstrata atque specimine duarum classium proposito lectori, si forte liberet, opus pertexendum relinquere ceterasque in tertiam classem sine ordine congerere. Sciendum autem est, ea quae supra palaeographiae exempla protuli, ubi non sufficiunt ad iudicandum de similitudine, me suo quoque loco, quibus opus esse videtur, addere quidem breviter, iis autem explicandis supersedere, quae cum primo quidem aspectu audacioris conatus speciem prae se ferant, acrius inspicienti omni criminis macula levantur atque ad legis rationem et severitatem revocantur. Quamquam fateor inesse nonnullas, quas temeritatis haud immerito posses arguere, nisi veritatis, interdum etiam probabilitatis tanta vis esset, quanta dubitationem, si quae forte oboriretur, omnem absorberet. Insunt aliae quarum corruptela nonnisi similitudine soni ab eo, quem non inspiciendo sed auscultando verba recipientem descripsisse consentaneum est, facta esse videatur. Neque vero abstinere potui, quin insererem nonnullas, de quibus cum ipse nondum satis compertum et persuasum haberem, vehementer vellem alii iudicium ferrent in iisque paucas, bona venia lectoris, prima specie perquam temerarias, siquidem quod novum inauditumque viris doctis videtur, facile temeritatis et cupiditatis suspicionem excitat, hypotheticas dico sive finitas, nam finitas quaestiones eodem fere sensu veteres nuncupabant. Quod genus quid sit et quale suo loco si videris, cum animo tuo reputes velim, nec omnem virtutem antiquitate aut senio neque vitium novitate contineri meminerisque, si cum parvis magna licet aut summa componere, summo Bentleio viros doctissimos et illustrissimos sed, ut hodie quidem sentimus, eosdem vasti ingenii Musarumque agrestium pugnis calcibusque quondam insultare, cum nova et inaudita e. c. de anapaesto proferret.

Abstinui vero ab uberiore notarum apparatu, quo totum Horatium siquidem explicatum et emendatum publici iuris unquam fecero, habebis instructum, qui qualis sit futurus, ex studiis meis Sophocleis*) publice editis dignoscere et augurari licet. Brevissime igitur paucis locis exceptis, quae praeter similitudinem a necessitate, veritate, probabilitate necessaria videntur, ita subieci, ut passim accuratiorem indagationem lectoris arbitrio iudicioque relinquerem nonnusquam ne verbo quidem addito.

I.

Nulla littera mutatur, deletur, additur, sed palaeographiae ratio ac proprietas ad nostram scribendi normam et consuetudinem revocantur, restituta nonnusquam notula vel compendio (q.). Accedit interdum alia litterarum coniunctio, alia interpunctio. Statuo igitur aut suspicor Horatium scripsisse:

---

*) Studien zu Sophokles 3 B.

Carm. lib. I, 4, v. 16 *fabulaeque inanes* (in = m), ubi vulgo legitur *fabulaeque manes*. Notum est, viros doctos haesitasse, utrum *fabulae* genitivum, an nominativum esse statuerent. Talis ambiguitas in poetam castigatissimum certe non cadit. Suo autem more cum domum *exilem* dicat, fabulas *inanes* addit hoc fere sensu: Jam nox te premet; itaque fruere ac gaude protenus illis, quae non sunt inania, exilia, sed solida. Ceterum Virgilius dicit: ‚perque domus Ditis et inania regna'.

lib. I, 3, v. 7 *ut precor*, ubi vulgo legitur (incolume)*m, precor* (ut = m). Scio quidem, necessitatem a viris doctis adhuc negari aut addubitari, sed nullus dubito, quin veritas omnes scrupulos omnemque haesitationem absorbeat. Equidem nullo labore et sudore interpretum, nulla adnotationum et locorum quod quidem opinantur similium mole persuaderi mihi potuit tale dictionis et constructionis monstrum a poeta esse profectum. Sed totum iam locum nulla opinione praeoccupatus et praepeditus inspicias:

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Japyga,
Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolume ut, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Quid tandem, sodes, desideras? Sic, sic te, navis, regat ventus, ut dimidium animae meae finibus Atticis reddas et serves incolume. Illud *incolume* pro certo scio tibi satis arridere, sed de collocatione *τοῦ ut* fortasse dubitabis. Apage vero, multa, quae possint audaciora notari, congerere possim; sed unus locus, cuius non similis quidem, sed affinis est ratio, fortasse sufficiet: ep. 6, v. 16 inultus ut, flebo, puer. Animadvertas autem nostro loco *ut* iure suo quodam medium locum idcirco obtinere, quia et ad praecedens verbum *reddas* et ad sequens *serves* referatur necesse est. Illud *precor* autem sic inseri solere probe novisti.

lib. III, 12, v. 15 *celerem arto* pro vulgato *celer arto*. Videsis, quam cate simul et venuste poeta loquatur: catus idem et iaculari et excipere. Etiam non admonitus intelligis, ad *excipiendum* ‚currentem' aprum calliditatem magis desiderari, quam celeritatem, quamquam qui ‚suem agrestem' sequatur aut cominus eat, eum celerem esse debere fateor. Venatores autem, nisi opinio me fefellit, assentiuntur. Accedit ut paullo ante celeritas iam sit praedicata.

lib. IV, 9, v. 41 *iudex qui honestum* pro vulgato *iudex honestum* et v. 43 *voltu et per*, pro *voltu per*. Jam omnia sana, lucida, praeclara evadunt. Sed necesse est totum locum accuratius inspiciamus:

(est animus tibi . . . .)
Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae
Consulque non unius anni,
Sed quotiens bonus atque fidus
Judex qui honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium
Voltu et per obstantis catervas
Explicuit sua victor arma.

Quem, quaeso, iudicem nominat et praedicat poeta? Quem tu mihi Lollium iudicem, bone interpres, adhuc narrasti? Lollius consul fit iudice populo toties, quoties ambitio scelesta devincitur, quoties populus bonus atque fidus ab honestate stetit et dona deteriorum nocentiumque hominum, qui consulatum ambiunt, aspernatus multitudinem ab illis corruptam superavit. Atque hoc quidem luce clarius est, iudicem esse populum. Sed possit aliquis contendere, hoc etiam constare et valere vulgata lectione servata:

Sed quotiens bonus atque fidus
Judex honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium
Voltu, per obstantis catervas
Explicuit sua victor arma.

Verum nemo non videt, tale asyndeti portentum a poetae more prorsus abhorrere. Itaque in vetustissimis editionibus post *utili* et post *vultu* iam *et* additum invenimus, quam particulam quicunque primus ex coniectura addidisset, eum recte et necessario id fecisse dixit Bentleius. Assentior viro summo de altero *et* post *voltu* restituendo, de alterius necessitate vehementer dubito. Possemus igitur acquiescere hac lectione, nisi scrupulus etiam acrius locum intuenti restaret. Apparet enim ex tribus sententiis primam (praetulit honestum) universum aliquid continere, quod duabus sequentibus ad unum certum definitumque locum refertur. Optime igitur sic procedit oratio: iudex, *qui* honestum praetulit utili, reiecit dona et arma explicuit. Accedit ut collocatio *τοῦ reiecit,* alioqui nonnihil offendens, iusta fiat et luculenta, si ad *qui* referendum est. His de causis in animum induxi non quidem Horatio protenus illud *qui* obtrudere, sed viris doctis meram opinionem proponere. Nam siquis putet, poetam in carminibus *qui* relativum nec potuisse nec voluisse elidere, meram hanc quoque opinionem esse confido, atque si rarissime fecit, id casui potius et carminum naturae, quae monosyllabarum vocum silvam aspernatur, tribuendum. Verum cum hoc quidem loco quaestio illa absolvi nequeat, eos, qui secus sentiunt neque mecum statuunt Horatium carm. saec. v. 5 *quo et* scripsisse, rogatos velim hanc quoque emendationem ut per hypothesin proponi patiantur. Eadem ratio est sequentis coniecturae, quam prae ceteris fere in deliciis habeo:

lib. I. 1, v. 6 *dominos quae evehit* (q.), ubi vulgo *dominos evehit.* Meministi, Bentleium luce clarius necessitatem emendationis demonstrare, sed quam ipse proposuit coniecturam *evehere,* eam summo iure viri docti non amplexi sunt, quia quamquam a veritate

oppido commendaretur, omni similitudine et probabilitate careret. Jam vero totum locum strenue excutias nostra ratione restitutum:

. . . . metaque fervidis (iuvat)
Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos quae evehit ad Deos.

i. e. quos iuvat meta fervidis rotis evitata et palma, quae vel nobiles terrarum dominos ad Deos evehit. Nobiles autem domini sunt principes et reguli, quales Pindarus carminibus exornat. Venusinam autem verborum collocationem ipse animadvertes. Addo, *vehit* si poetam pro *evehit* dicere potuisse probari posset, hypothesi quidem opus non esse.

ars p. v. 267 *veniae incautus,* ubi vulgo *veniae cautus,* quamquam alia etiam interpunctione, quam quae vulgo fertur, totus locus sanandus esse videtur ita:

an omnis
Visuros peccata putem mea? tutus et intra
Spem veniae incautus vitavi denique culpam,
Non laudem merui.

Addo locum nova interpunctione, nisi fallor, sanandum, si Bentleii coniecturam *inquam* pro *in quem* mecum amplexaris. Legendum igitur erit: sat. II, 3, v. 275

adde cruorem
Stultitiae atque ignem gladio. scrutare modo, inquam, etc.

II.

Una littera aut mutatur aut additur aut deletur contra codicum auctoritatem. Accedunt interdum emendationes primae classis. Statuo igitur aut vero suspicor Horatium scripsisse:

Carm. lib. I, 6, v 18 *rectis,* ubi vulgo *sectis,* quod quam invenuste et invenusine dictum esset, Bentleius satis exposuit, sed quam ipse proposuit emendationem *strictis* haud scio an a nostra, quod ad veritatem attinet, superetur, nam de similitudine nemo quidem dubitabit. Meministi autem, saepissime te legere *recto gladio, telo, mucrone.* Quid? nonne ungues recte dixerit poeta virginum acrium gladios, tela, mucrones, quibus etsi non occidunt vulnerantve, at satis lepide minitantur?

ep. 7, v. 12 *ferus,* ubi vulgo *feris.*

Videsis totum locum:

Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
Unquam, nisi in dispar, ferus.

i. e. ferus hic mos neque leonibus unquam fuit neque lupis, nisi in dispar. Omnis autem loci difficultas, quae tantopere vexavit doctos homines, hac emendatione, quae verborum collocatione oppido commendatur, statim evanescit.

sat. II, 2, v. 44 *praesentes austris,* ubi vulgo *praesentes, austri.* Mira hercle vis veritatis omnem dubitationem absorberet, si qua locum haberet. Sed secus est. Intuere autem restituta verba poetae:

at vos
praesentes austris coquite horum obsonia.

Elucet vero *vos* spectare Harpyas, quae qua ratione satis sordida coquant obsonia, eius negotii speciem, si lubet, facile tibi ipse fingere potes, quales autem interpretes cogitaverint austros coquentes, nullo pacto enucleare possum. Praesentes autem illas esse dicit i. e. adesse, advenire, adduci ventis.

Carm. lib. II, 19, v. 28 *medicusque* pro vulgari *mediusque*. Ipse fortasse affirmabis expertus, Bacchum medicum esse optimum in pace et otio neque hercle Horatium reprehendes, quod eundem, qui Rhoetum immanem retorsisset, in bello quoque salutarem praedicaverit.

sat. II, 3, v. 208 *veris celerique tumultu,* ubi vulgo *veri scelerisque tumultu.*

Scriptum legebant boni homines *veriscelerique tumultu,* sed perperam litteras segregabant *veri scelerique,* quo facto sanare sibi videbantur, *s* illud intrudentes: *scelerisque.* Fortasse id quoque in causa fuit, quod nesciebant, quid esset *alias veris,* quam dictionem suspicor tibi notissimam esse. Dixit igitur bene et dilucide, furiosum esse qui caperet species alias veris i. e. falsas et celeri tumultu permixtas.

Carm. sec. v. 26 *stabile usque,* ubi vulgo *stabilisque.* Proclive fuit, hac scriptione *stabilusque in* errorem perduci, cum coniunctio illa *stabilis terminus* arrideret. Dixit igitur Horatius, Parcas veraces cecinisse, quod semel dictum terminus rerum stabile servaret usque, qua emendatione fortasse mecum laetaberis, si compertum habes, quem terminum rerum habuerint Romani dixerintque.

III.

Ceteras hasce coniecturas etiam breviori maximam partem exornari commentario iam iamque fines huius scriptionis iubere videntur. Aut igitur pro certo affirmaverim Horatium scripsisse aut suspicione quadam ductus sententiam meam viris doctis propono:

Carm. lib. I, 5, v. 8 *tum eluctabitur,* neque vero *emirabitur.* Quod quid sit cum nemo sciat, Bentleius alia lectione quae traditur *et mirabitur* fretus scribit *ut mirabitur.* Idem vero lectionem vetustae editionis *et mutabitur* cum afferat, addit: ‚punctulo sub *t* posito a manu secunda, quo delendam esse litteram aliquam notare solent librarii'. Fac igitur scriptum fere fuisse *t. mutabitur,* quo facilius suspicari poteris contineri nostram emendationem. Quam apte autem ad nostrum locum *eluctabitur insolens* dictum sit, non est, quod moneam. Ceterum, qui respuit, quae supra diximus de elisione, *eluctabitur* fortasse omisso *tum* amplectetur.

7, v. 7 *culmine decerptam,* non *undique decerptam.* De culmine arcium i. e. arcis, nam arces, non urbem Palladis in versu antecedente legendum esse statuimus, olivam decerptam poeta dicit. Proclive sane fuit librariis cum *ulmine* quid esset ignorarent, in *undique* corrigendo mutare. Possit vero aliquis de *pumice* cogitare, quae coniectura magis a similitudine ac probabilitate commendatur (*umice*). Sed fateor adhuc me animo fluctuare,

quamquam Horatius minime dubito quin de Athenarum arce ita loqui potuerit, si quo sensu alii poetae voce *pumice* nonnusquam utantur recordor.

12, v. 13 *Quid prius, dic, quam solitis parentem*
laudibus?

Sic enim poeta loqui videtur: Quid prius, dic, Musa, sumam celebrandum, quam Jovem solitis laudibus? Quamquam de necessitate dubitari potest, cum cod. Bland. vetustissimus sic habeat:

Quid prius dicam solitis parentis
laudibus?

Quam lectionem, si statuis liberius quodammodo poetam Graecorum loquendi morem imitatum esse, splendorem quendam habere negari nequit. Sed cum ceteri codd. *parentum* habeant, unus Bentleio auctore *parentem,* facere non potui, quin ‚in magna hac diversitate cum lectionis tum interpretationis' viris doctis sententiam proponerem.

v. 31 *quam di voluere, ponto*
unda recumbit,

neque vero

quod sic voluere, ponto

quaeque alia legenda viri docti adhuc statuerunt. Nam ‚turbant hic mirum in modum codices': *quia sic, quod sic, nam sic, quod si, quod sic dii etc.* Sed vides, unde illud *di* hauserimus. Posuisse poeta videtur *voluere* a *volvere,* quatuor syllabis legendum sicut legisti *soluere, siluae, evoluere,* alia. Quod quem fugit, eum *sic* immiscuisse consentaneum est, unde facta est lectionum ista variatio et perturbatio. Jam vero siquis quaerat, num statuere liceat Horatium posuisse *voluere* formam, quae congruat cum perfecto *voluere* a *velle,* fateor ingenue, me quidem hanc formam circumspicientem adhuc non deprehendisse. Itaque per hypothesin malim emendationem, quae permagna veritate et probabilitate ceteroquin commendatur, proponere. Nam *evoluere* a poeta profectum esse idcirco non ausim suspicari, quia hoc verbo nonnisi sensu paullum diverso, quantum quidem scio, scriptores utuntur. Ceterum si locum nostra ratione restitutum contemplaris *si quam* ad *undam,* sicut par est, referendo venustam mecum verborum collocationem admiraberis.

v. 35 *catenis nobilitatum* (Regulum), non *Catonis nobile letum.* Sed totum locum contemplare, qualem a poeta profectum esse statuimus:

Romulum post hos prius ac quietum
Pompili regnum memorem ac superbos
Tarquini fasces, dubito, an catenis
nobilitatum
Regulum et Scauros etc.

nam depravationem duplicis *ac* in *an,* quod vulgo legitur, ex reliqua corruptela necessario natam esse pro certo habeas. Itaque poeta postquam Deos heroesque celebravit, haesitat paullulum quaeritans, utrum reges, an vero viros in re publica libera praeclaros praedicet. Paullulum, inquam, nam quo animus inclinet, facile apparet, cum alteros memorandos modo, alteros insigni camena referendos dicat. Sed videsis quo cum acumine *superbos fasces* eo

loco posuerit, quo protinus omnis haesitatio et fluctuatio regia hac superbia extinguantur. Sequuntur igitur ipsa rei publicae lumina, in quibus Regulus catenis nobilitatus primum locum obtinet. Jam vero non dubito, quin omnis dubitatio quae possit de his verbis oboriri vi veritatis absorbeatur, quare nihil ex schedis addo. Scimus autem Catonem, quem nimia cum pertinacia locum suum in foro Romano saepius obtinuisse rerum scriptores narrant, a Bentleio ex hoc demum loco summo iure detrusum esse, sed quam attulit idem medicinam, nemo, quantum novi, probavit. De *ac* ipse nunc videas; liquet enim causa et, prope dixerim, necessitas depravationis.

v. 14 *primo iens*
limo inchoato . . ., non *principi*
limo coactus.

Coactus quid sibi velit, quod quidem vetustissimi interpretes per *iussus* explicant, e mythologia non enucleari posse Bentleio totus assentior. Nam illa sententia, Prometheum, cum semel constituisset hominem fingere, hanc rationem inire coactum esse, nimis frigida videtur. Prometheum igitur noster narrat, postquam limum primum inchoavisset, ivisse huic addere particulas illas. Quod quid sit, *ire* cum infinitivo cum probe scias, exemplis igitur afferendis supersedeo, huic loco accommodatissimum esse non negabis. Ceterum cf. Prop. lib. III, 3, v. 89: O *prima* infelix fingenti terra Prometheo.

28, v. 25 *si (quodcunque Eurus minabitur,*
silvae plectantur te sospite, multaque merces
tibi defluat)
nec legum immeritis nocituram
postmodo te natis fraudem committere fortem
debita iura vicesque, superbe,
te maneant ipsum.

Vulgatam, sodes, ipse adeas. Nihil addo, quia paucis vix absolvi potest.

32, v. 1 *Roscido siquid vacui sub antro,*
non *poscimus*.

Oscido qui invenit cum quid esset ignoraret, *poscimus* periclitatus est. Quod proclivius fuit, si iam *umbra* legebatur pro *antro,* aut si *roscidum antrum*, quod legitur apud poetas, cognitum non habebat. Fieri quoque potuit, ut attentus sciolusque librarius, cuius menti ex praecedente carmine illud *poscis* obversaretur, *poscimus* sive *poscimur* audacter intruderet. Quid enim illi non potuerunt?

v. 15 *nitidumque,* non *mihi cunque.*

35, v. 16 *frangat,*
te servam ut anteit saeva necessitas,

non *semper*, neque vero *serva necessitas*. Saepius accidit, ut quod pro varia lectione vocabuli traditur, ad aliud vocabulum referendum sit. Itaque suspicari licet, cum *serva* pro varia lectione *saeva* vocabulo adscribatur, pertinere illud ad *semper,* quod vix dici potest quam frigide hoc loco positum sit, cum *saevam necessitatem* nemo mortalium infestare possit. Jam vero vide, quantam salutem qualemque medicinam toti loco difficillimo, qui virorum

doctorum animos tantopere vexavit agitavitque, attulerim, si mecum ita poetam facis loquentem: metuunt tyranni, ne populus, ubi primum saeva necessitas, quam tu, fortuna, dominam subsequeris, apparet, imperium frangat. Dominam autem vitae humanae fortunam unius necessitatis servam esse recte poeta monuit.

lib. II, 7, v. 12 *mentes,* non *mento.* Desinant igitur viri docti vexari illo *minaces* tam nude posito, sed *fracta* non ad *virtutem* solum, sed audacter mecum ad *mentes minaces* simul referant. Narrat igitur, in proelio ad Philippos facto mentes minaces fractas esse et virtutem solumque turpe tetigisse.

III, 4, v. 10 *Apollinis,* non *Apuliae* sive *Dauniae* sive quidquid viri docti adhuc in lucem protulerunt. Et de necessitate quidem variis de causis dubitari nequit. At quas tandem Apollinis palumbes tu nobis narras, quae sunt uni Veneri sacrae? Concedo, sed laurum sacram esse Phoebo, non Veneri fatearis. Quid, si nostrum, qui se puerum a Deo Deaque servatum esse optime diceret, fabulosas hasce, paene dicam, inauditas palumbes suo Marte sacras utrique finxisse suspicemur? Sed vide, quid traditum sit: *limen apulliae, limina polliae, limen Apuliae.* Similitudinem adesse vides permagnam neque negari potest, nostram rationem collocatione verborum: *fabulosae Apollinis palumbes,* sic enim verba cohaerere iam significavimus, vehementer arridere. Enimvero finita sit emendatio. Viros doctiores aut pluribus litterarum otiique subsidiis et instrumentis ornatos velim, si libuerit, aut infinitam reddere, aut vero delere; laetabor, si quis felicior fuerit in emendando loco sanequam desperato.

IV, 4, v. 15 *iam iamque,* non *iam lacte. iam iamque peritura* pulcherrime, ut decet Horatium, dictum est et ad sensum quod attinet et ad verborum collocationem. Lubenter, nisi fallor, hanc crucem amotam esse senties.

Ep. 16, v. 16 *arenae,* non *carere.* Lapsus est auribus librarius. Ipsum poetam audivisse videor. Arena est, quod modo solum dixit civium cruore tinctum. cf. Flor. 4. 2: prima civilis belli arena Italia fuit.

Sat. I, 1, v. 89 *quo tibi dat,* non *quos.*

v. 113 *si festinanti,* non *sic festinanti.*

7, v. 11 *ob verbum,* non *adversum.*

Mecum sine dubio gaudebis *verbo,* quod ἕρμαιον per me nuncupare licet.

II, 2, v. 65 *mundus erit, qui non offendat sordibus, atque*
in neutram partem cultus miseri neque servis etc.
non *cultus miser hic.*

v. 122 . . . . . *cum duplice ficu*
ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto.
post hoc ludus erat, cum nulla adpota magistra
explicuit vino contractae seria frontis.

vulgo quod fertur, ipse inspicias.

3, v. 154 *liquens,* non *ingens.* Plaudes sine dubio. Dicit autem universe *liquens,* quia si de vino locutus esset, avarus ille terrore percussus esset. Notum autem est, *liquens* (liquor dep.) primam producere.

v. 172 *effundere,* non *et ludere.*

v. 318 *maior ait nimio,* non *maior dimidio.*

5, v. 79 *venit enim mansum,* non *magnum.* Plaudes sine dubio. Placebit enim imago nebulonum quotidie ad manducandum convenientium.

v. 103 *inlacrimare,*
gaudia prodest et vollu celare. etc.
non *est gaudia prodentem voltum celare.*
Occurrit illud Nasonis: ‚et lacrimae prosunt'.

Epist. I, 6, v. 59 *coplamque,* non *populumque.* Mecum facies, si cuncta circumspexeris. Fortasse non admonitus canes iam desiderasti hoc loco, non alias apud Horatium. En, adsunt. Ceterum compara *pplq.* cum *cplq.*

10, v. 37 *victo insultans,* non *victor violens.* Nimirum obstupefactum te video propter luculentam dissimilitudinem. Sed festina lente. Si quae tradita sunt omnia diligenter excutiens de necessitate emendationis mecum sentis, ad veritatem nihil posse cogitari ab omni parte melius, aptius, venustius certe concedes. En vides caballum victo tandem hoste fortiore gestientem fastu laetitiaque solo *insultare,* quod verbum saepius legisti de equis et equitibus, sicut ipse poeta armentum habet *insultans.* Intuere autem praeclarissimam oppositionem: *vix insultans incessit, cum frenum accepit.* Talia artem et ingenium venusinum sapiunt. Adde numerum denique rei quam maxime accommodatum. — Verum nulla similitudo, nulla probabilitas adest! Fateor, sed fieri facile potuit, ut aliquis ad marginem explicandi causa propter oppositionem illam adscriberet *insolens* (= insultans = saliens) i. e. per superbiam et insolentiam, quod vocabulum eiusdem fontis esse probe scis (salire). Quid igitur mirum, si casui quoque nonnihil tribuendum est, hanc adnotationem, quod sexcenties factum est, in textum irrepsisse, postea autem metri causa *insolens* in *violens* esse mutatum, quorum maximam esse similitudinem apparet. Sed meram opinionem propono.

20, v. 24 *praeconem dotibus aptum,* non
praecanum, solibus aptum.

Jam primum *solibus aptum* ita fere explicant interpretes, ut hominem significet locis apricis gaudentem i. e. qui sanitatis vel voluptatis causa solem amet quaeratque, quod utrum de Horatio valeat nec ne, qui narrat sole ingruente se campum lusumque fugisse, ipsi videant. Sed addubitari ipsa locutio potest. *Amicis aptus* qui sit, intelligo neque de reliqua vocabuli potestate haesito, sed *solibus aptum* illam, quam volunt, vim habere nunquam mihi persuadere potui. Itaque Doederlinio, quem honoris causa nomino, viro doctissimo et ingenioso assentiri malim, qui hominem solibus aptum intelligi vult eum, cuius caput sit solibus accommodatum i. e. calvum. Quamquam ne hoc quidem pro certo comperi, poetam calvum fuisse. Sed fac bonum poetam et praecanum et calvum et solis amicum fuisse, per me licet doctissimorum hominum arbitrium et voluntatem constare, aliae graviores etiam dubitationes locum acrius diligentiusque contemplanti et excutienti necesse est oboriantur. Illud *celerem irasci* tam nude positum offendit sane, cum nequaquam sufficiat ad ingenium

poetae significandum. Quid? nihilne aliud de se ipse libello proficiscenti commendat praedicandum, cum tam ‚verbosa loquela' corporis non dico virtutes sed invenustam proprietatem exhibeat? Apage vero! *exiguus sum, praecanus, solis amicus, idem iracundus!* Apage, inquam; si quid sapis, audacter mecum in *solibus aptum* corruptelam inesse prudentissimi poetae statuas. Sine dubio de ingenio suo nescio quid — quamquam probe quidem scire videor, sed liceat hoc loco viam et rationem, qua perveni ad illam emendationem, uberius aliquantulo demonstrare, — de indole sua igitur nescio quid universe praedicavit addiditque pergens: *celerem quidem irasci,* sed etc. Sic fere velim locutum: dic, liber, me esse exiguum, praecanum, bonum sodalem et celerem quidem irasci, sed qui placari possit. En habes sententiam, nisi fallor, sanam, rotundam, utique tolerabilem. *Sodalibus aptum* igitur lubenti animo mecum arriperes, si per metrum liceret. Itaque *sodibus* (= *sodalibus*) olim cum mea quadam amicorumque voluptate per hypothesin proposui i. e. pugnis calcibusque contendi, poetam scripsisse, quod a necessitate, a similitudine et probabilitate satis commendaretur, nisi ad veritatem quod spectat, ceteroquin maximam, unus scrupulus restaret: *sodes = si audes Cic. Fest. Non. auctoribus.* Enimvero scrupulum de scrupulo movebam declamitans, veri simile esse grammaticum sua utrumque e Cicerone hausisse, quem summum oratorem, criticum mediocrem haberemus; addebam apud Sidon. carm. 28,233 haec legi: *O sodes, quoties tibi loquenti* etc. Hinc esse, quod doctissimi homines existimavissent, *sodes* esse idem ac *sodalis* neque negari posse, magnam locorum silvam cum hac vocabuli potestate mire congruere. Verumenimvero nusquam terrarum legitur illud, quod mente conceperam, alio casu! Quid igitur? Abstinere fas est a tali coniiciendi cupiditate ac pertinacia, quia, si Friderici Magni dicto licet uti, Caesar non est super Grammaticos, nedum simplex ludi magister, ipse grammaticus. Quamquam animi causa hypotheticam eam proponere pergebam, donec totius loci iusta legitimaque emendatio in lucem prodiret, ut quantum fieri posset, quaestio illa redintegraretur et ad finem perduceretur. — Quid vero? *moribus aptum?* Sed totum locum contemplare:

> Me primis urbis belli placuisse domique
> corporis exigui, praecanum, moribus aptum,
> irasci celerem, tamen ut placabilis essem.

Ex iis, quae supra diximus, pluribus quidem rationibus hanc coniecturam commendari nemo non videt. Accedit ut similitudo non prorsus desideretur; nam si Meineckius, vir doctissimus, poetam fortasse putat *solis amicum* scripsisse, nemo certe negabit nostram emendationem cum illa comparatam primas affectare debere. Sed si similitudinis, si probabilitatis laude praestaret omnibus, nequaquam acquiescerem, cum aliae difficultates locum acrius inspicienti oboriantur.

Praecanum illud duplici nomine vehementer offendit. Primum nemo mortalium poetam praemature canum fuisse probavit, tum vero vocabulum ipsum est ἅπαξ λεγόμενον. Possit igitur vir prudentior cautiorque suspicari corruptelam hac voce contineri. Itaque multa periclitatus sum, donec iusta, quam supra posui, probaque, nisi me omnia fallunt, emendatio subito — affuit.

Sed aspice nunc, quaeso, sanatum totum locum: (narrabis igitur, libelle,)

me primis urbis belli placuisse domique
corporis exigui praeconem dotibus aptum,
irasci celerem, tamen ut placabilis essem,

i. e. narrabis, Augusto, Maecenati, aliis me placuisse, qui laudes eorum praeconarer, exigui quidem corporis ‚homunculum', sed ingenii dotibus aptum, et quamquam procliviorem ad iracundiam, facile tamen placabilem. Vides igitur totum locum sententiis, verbis, numeris aptissimum, teretem atque rotundum. Summus autem praeco, Homerum dico, statim occurrit nostrumque pusillum praeconem tuetur. Simul *dotes ingenii* quemadmodum *naturae fortunaeque dotes, belli togaeque* dotes dicuntur, apud Ovidium nos legere meminimus Horatiumque videmus illud *ingenii* non addere debuisse, quia *dotes* hoc loco, cum oppositum praecedat *corporis,* non possunt de ingenio non intelligi. Neque vero dubito, quin gratiam mihi habiturus sit poeta, quod a calvitio, canitie, aliis senectutis dotibus praematuris eum vindicaverim, εἰ χάρις ἐστὶν ἐκεῖ i. e. apud inferos. Nam apud grammaticos nonnihil gratiae fore, vix sperare ausim, cum expertus sciam, ἐκεῖ τὸ ἄχαρι nequaquam deesse.

II, 2, v. 87 *suasor erat,* non *frater erat.* Audacter mecum furca fratrem ineptum expellas: non recurret. Ipsum poetam *suadentem* audire videor. Acumen autem cognosce, quod rhetorem potius, quam consultum alterius suasorem fecit.

ars p. v. 60 *ut folia in silvis si commutantur in annos,*
prona cadunt, non
ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
prima cadunt,

Omnia diligenter circumspiciens assentieris.

Haec habui, quae nunc quidem tecum communicarem. Quae si hoc loco non ubique sunt accuratiore commentatione instructa, paullulum ipse, quaeso, circumspicias causas et rationes, quibus tandem enisus et fretus nova mea protulerim, ut quae coactus omisi, e penore tuo subministres. Ita nimia iudicandi celeritas cupiditasque vitatur, qua persaepe virorum doctissimorum, nam de meorum studiorum mediocritate modestiaque non loquor, sed summorum virorum gravissima inventa, si forte supersederunt longiore commentationis apparatu, carpuntur et perstringuntur. Itaque vir doctissimus ‚nam si sic' inquit ‚simpliciter quid scribendum tibi videatur significaveris, semper verendum, ne aut non satis intelligatur, quid sibi velit emendatio quamve sit necessaria, aut etiam ea quae per se sunt plana et perspicua maligne simulent se ignorare'. Quapropter ne hypothetica quidem sive finita mea inique te laturum esse spero, si rationis meae iustam ipse rationem habueris. Fateor equidem me novam hanc aream vehementer adamare propterea quod expertus cognovi, summopere talia ad indagandum easque quaestiones, de quibus dubitari etiam potest, absolvendas invitare. Sed alii aliter sentiunt. Quod si igitur mente ac voluntate forsitan a toto genere abhorres, nihil equidem refragor nec repugno, diversa sunt enim hominum ingenia, diversi sapores; immo vero, quod Fr. Aug. Wolfius dixit, magna iudicandi discrepantia ipsius corporis vi et natura tam varie temperata nonnunquam nititur. Verum hoc te rogatum velim,

caveas, ne quod finite dictum volui, infinite accipias eoque nomine castiges, quam in erroris labem illapsus est mira casus iniqui temeritate, absit enim voluntatis et cupiditatis suspicio, vir doctrinae fama et auctoritate insignis, qui quas ad Sophoclem protuli coniecturas finitas viris doctis persuadere conatus est, eas ut legitimas me venditasse, quin etiam divino poetae, quod nefas duco, cupide temereque intrusisse [1]). Sed haec hactenus.

Vive, vale! siquid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

[1]) cf. Beiträge zur Erklärung des Sophokles von H. Bonitz. 2. Heft. Hoc in libello vir illustrissimus nonnullas emendationes ex altero studiorum meorum volumine depromtas ‚in stomacho ridens' reprehensione sive convicio perstringit. Ex quibus quae metricis meis rationibus nituntur, de iis non potuit sane non perverse iudicare, si volumen tertium, in quo illae exponuntur, non legerat. Quod quamquam alterum et tertium simul edita sunt, casu quidem evenire potuisse supra significavi, nisi forte propter singularem petulantiam metricam quam deprehendisse sibi videretur horrore correptus et obstupefactus a tertio inspiciendo abstinuit. Sed ne primum quidem volumen cognovisse videtur, cum alterum persequeretur: insunt enim, quibus gravissima convicia non infirmentur modo, sed prorsus deleantur. Itaque bonus Bonitzius *‚monographiam'* meam nescio quam narrat, dum eadem pagina haec leguntur: Studien zu Sophokles. 2. Band. Quid igitur? Abi, puer, Oedipum arcesse! nisi forte haec quidem aliquam voluntatis significationem habere videntur. Ceterum quem dixi horrorem ad alia omnia quae effutivit pertinuisse consentaneum est, nam dici vix potest quam absurda sint magnam partem et inepta. Nimirum successor fraterque gemellus Schneidewini, quem Bergkius scribit solum se iactasse Graecos poetas intelligere, caeco aliis adversandi studio abreptum, successor igitur in regno Sophocleo indignatur vehementissime, cum videat hominem novum in fines suos temere irrumpentem. Itaque tutor et sacerdos legum rationumque sacrarum, sunt autem *νόμοι ὑψίποδες, οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες κ. τ. λ.* debacchatur passim contra *τὸν πλάνατον ἀκορέστατον οὐδ' ἔγχωρον κ. τ. λ.* pus ac venenum merentem, ut qui ludi magister ad illam suam artis criticae nobilitatem et maiestatem aspiraverit, risus et fabula fiat. Sed periculosa haec alea est. Saepius aliter, immo contra evenit.

nam risu inepto res ineptior nulla est.

